

*157. Instrumentum testamenti
di Roberto de Tingulo*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*157. Instrumentum testamenti
di Roberto de Tingulo*

1455-12-23

(c. 227v) In nomine domini nostri Iesu Christi amen. Anno a nativitate ipsius millesimo quatragesimo quinquagesimo quinto, regnante serenissimo et illustrissimo domino nostro domino Alfonso Dei gratia Aragonum, Sicilie citra et ultra farum rege, Valentie, Hierusalem, Ungarie, Mayorice , Sardinie et Corsice , comite Barchinone, duce Athenarum et Neopatrie ac etiam comite Rossilionis et Ceritanie, regnorum vero eius anno vicesimo primo feliciter amen, die vicesimo tertio mensis (decem)bris, quarte inditionis, apud civitatem Potentie, provincie Basilicate.

Nos Gaspar de Aprutio // (c. 228r) de ditta civitate ipsiusque civitatis annalis iudex pro ditto presenti anno decime quarte inditionis, Rogerius de Lauro de terra Athani provincie Principatus, incola seu habitator prenominate civitatis, puplicus ubilibet per totum regnum Sicilie reginali autoritate notarius et testes subscripti, viri quidem litterati et inlitterati ad hoc vocati specialiter et rogati, presenti scripto puplico testamenti instrumento fatemur, declaramus, notumfacimus et testamur quod preditto die ad requisitionis instantiam et preces nobis oretenus fattas pro parte venerabilis viri domni Roberti de Tingulo de ditta civitate Potentie personaliter accersitis ad domum Goffredi Casi ipsius civitatis, sitam et positam intus dittam civitatem Potentie, in parrochia ecclesie Santi Girardi, confinatam iuxta domum Angelilli Caso muro comuni mediante, iuxta domum Ioannis de Turturella muro comuni mediante, iuxta vias puplicas et alios fines, et dum fuimus ibidem in quadam videlicet ca(m)mera ditte domus invenimus ibidem dittum dopnum Robertum de Tingulo in letto iacentem; qui dopnus Robertus

infirmus corpore sanus tamen mente retteque memorie
vigens et composite locutionis existens, considerans et
attendens in acie sue mentis quod mors nullis auxiliatur
potentiis, nec auxiliis suffragatur, nec argento nec auro
reddimitur et quod nil morte // (c. 228v) certius et nil
incertius hora mortis, volens bona sua omnia salubriter
ordinare et timens, quod absit, ne decederet intestatus
ac intentione co(m)motus, consentiens primo in nos
preditos iudicem, notarium et testes suam iurisdictionem
ad nos voluntarie prorogando, in nostrum quorum
supra iudicis, notarii et testium subscriptorum presentia
presens suum nuncupativum legitimum condidit et fecit
ultimum testamentum et eius ultimam voluntatem modo
qui sequitur infrascripto; quod quidem testamentum
et quam eius ultimam voluntatem testator ipse valere
voluit et mandavit iure testamenti et, si iure testamenti
forsitan non valeret, valere voluit iure condicillorum,
iure legati, donationis causa mortis et cuiuslibet alterius
iuris sive ultime voluntatis, prout melius de iure
valere potest et debet, itaque omni tempore pariat
effettum et realiter sequantur contenta in eo, cassans,
varians, irritans et annullans testator ipse hactenus
omnia alia testamenta, condicilla seu ultimas voluntates
eius per eum ab hactenus condita vel etiam ordinata
per manus quorumcumque notariorum seu aliarum
privatarum personarum, sub quacumque verborum serie
sive forma, volens et mandans testator ipse quod hec sit
ultima voluntas, // (c. 229r) ordinatio et dispositio sui
animis et quilibet quocumque <de iure> sibi succedens
teneatur et debeat ipsum et ipsam teneatur adimplere
et inviolabiliter observare iuxta ipsius testamenti
continentiam et tenorem. In primis quidem quia heredis
institutio cuiuslibet testamenti capud esse dignoscitur,

idcirco dittus domnus Robertus testator instituit, fecit sibi heredes Colutium, Antonium Bartholomeum, Honofrium Casum, Floriam et Franciscam, filios et filias legitimos et naturales Goffredi Casi et Comine de Tingulo, eius sororis et uxoris ditti Goffredi, in omnibus bonis suis mobilibus et stabilibus preter ad infrascripta legata et fidei commissa; item predittus domnus Robertus testator elegit sibi sepulturam, si eum mori contingerit de presenti sua infirmitate, in ecclesia Santi Girardi in sepultura retro vel post portam magnam ipsius ecclesie Santi Girardi qu(am) quis intrat ad manum dexteram, videlicet in terra, cui quidem ecclesie legavit pro loco ditte sepulture tarenos quindecim et quod fiat ibi lapis novus quo coperiatur ditta sepultura ex eo quare lapis residens modo illic est frattus et si capitulum vel clerici ipsius capituli non assentient, quod ditti tarenis quindecim remaneant penes dittos heredes suos et corpus suum reponatur in sarcofago vel monumento comuni ubi generaliter corpora presbiterorum ditte ecclesie Santi Girardi // (c. 229v) mortua co(n)duntur et ponuntur; item legavit pro malis ablatis incertis tarenos sex; item legavit domno Nicolao Angelo de Camillo patri suo spirituali tarenos duos; item legavit Comine eius sorori subscripta bona que remansit heres de dotibus suis sibi promissis que inferius describuntur, videlicet: mataratia dua plena; capitiis plomatium unum; trappetum unum novum; par unum de lintheaminibus; tobaleas quatuor largitudinis palmorum trium laboratas ad ramum dupplum; pellezonum unum de agnis album; ligamenta duo, unum laboratum auro et alium serico laboratum; ca(m)misias quatuor muliebres et de here libras triginta quatuor; grattarolam unam de ferro et catenam unam de ferro; item legavit Comine sorori

sue tarenos duos quos sibi legavit pro bono servitio Antonellus de Tingulo eius pater; item legavit quod unus homo serviat beate Marie de Martiribus per unum mensem ad expensas <suas>, ubi stabit ad serviendum siv(e) aut(em) arbitretur i(n) pecunia ex ea, quia sic legavit pater suus, ut dicuntur, ex voto quod voluit; item legavit tarenos sex pro missis celebrandis pro una quarantana, quas legavit idem pater suus; item legavit quod celebrentur decem misse pro penitentia et quatuor pro voto ad honorem beate Virginis Marie, quas missas legavit pater suus ex voto quod habuit; item legavit quod dentur uni // (c. 230r) orphane tanta bona qua ascendant ad summam tarenorum quindecim pro anima patris sui, qui sic legavit et voluit; item legavit dittus testator quod fiat altarem unum ad expensans suas in pede crucifixi Santi Pauli et sit depicta ibi istoria santi Clerici et santi Angelecti, tota et integra; item legavit duobus presbiteris dicentibus psalterium supra corpus suum tarenum unum; item legavit quod vadant dui presbiteri ad santam Mariam de Laurella et quod quilibet celebret missam unam pro anima eius et quod satisfiat de bonis ipsius testatoris dittis presbiteris; item legavit quod celebretur missa una in altare cappelle Sante Marie de Ferris, ad quod altare ipse se votum fecit; item legavit ecclesie Santi Antonii de Monte, extra menia civitatis Potentie, quod fiat ibi imago uni(co)lore, qua imago sit membrum hominis, valoris granorum trium; item legavit Ioanni Aquam[a]larum tarenos septem quos tenebatur dare et item legavit Nicolao Angelo de Balbano tarenum unum; item legavit Simoni de Basa granos quinque; item legavit quod domnus Dominicus de Sicale sit satisfattus de fatigiis suis ex eo quia fecit sibi portam unam et innuit ipsum ad adstringendum duas vegetes arbitrio

suo; item legavit domino Nicolao Angelo de Camillo tarenum unum pro una edogmeda et quod solvatur ei pro sexdecim missis dittis per se pro ipso testatore // (c. 230v); item legavit ditto Nicolao Angelo residuum denariorum ad sui conscientiam quando posuit calculum rationis et dietam unam [...]andi; item legavit Florie eius nepoti par unum caligarum in panno et capnen(n)o pro una gunnella; item legavit et voluit atque mandavit quod vinea que fuit condam venerabilis domni Angeli de Thodaro vendatur ad hoc ut presens testamentum suum debite executioni mandetur et si Colutius Caseus eius nepos vel alii eius nepotes vellent emere dittam vineam, quod ditta vinea detur illis pro quindecim tarenis; item legavit omnibus aliis nepotibus suis et Colutio vineam suam que fuit quondam patris sui et quod attent illam et quod unus monatur alteri super hoc legato. Item dittus Robertus sua spontanea voluntate confexus extitit et suo sacramento firmavit habere mutuo a Goffredo Casu unciam unam et solvisse eidem de ditta uncia certam quantintatem et non totam, propterea legavit et voluit et mandavit quod idem Goffredus Caseus faciat calculum de ditta vineao cum domno Nicolao Angelo de Camillo et illud plus quod debet habere pro ditta uncia legavit sibi; item legavit in reparationem ecclesie Santi Girardi terram unam capacitatis stuppellorum sex, sitam et positam in tenimento civitatis Potentie in loco ubi dicitur // (c. 231r) Rossolio, confinatum iuxta rem ecclesie Santi Spiritus et ecclesie Sante Trinitatis; item legavit ditte Francisce eius nepoti tarenum unum quem debebat habere ab ea; item legavit Ioannelle de Paracampo tarenum unum quem debet habere; item predittus domnus Robertus testator fecit, statuit et ordinavit presentis sui ultimi testamenti et ultime voluntatis exequutores, distributores, epitropos

et fide commissarios suos domnum Nicolao Angelo de Camillo, Goffredum Casum, Colutium Casum, Antonium Bartholomeum Casum atque Honofrium Casum, presentes et omnes huiusmodi epitropatus in se adsumentes, quibus quidem exequtoribus et cuilibet ipsorum in solidum ita quod occupantis conditio potior non existat, sed quod unus ipsorum incepit alter ipsorum nihilominus proseguere valeat mediare et finire, alterius ipsorum absentia non obstante, dictus testator dedit et concessit plenam licentiam ac liberam et omnimodam potestatem, auctoritatem plenam posse liberum arbitrium et speciale mandatum propria eorum auctoritate capiendi et apprehendendi inde tantum de bonis omnibus mobilibus et stabilibus, iuribus et actionibus quibuscumque ipsius testatoris ubicumque sitis et positis pro facienda executione testamenti predicti ipsaque bona vendendi et alienandi vel in solum dandi aliisque substationibus et solemnitate qualibet iuris et facti que in talibus requiruntur cuiuscumque seu quibuscumque personis exinde illa «emere» et habere volenti seu // (c. 231v) volentibus, pretio et pretiis quo seu quibus dicti executores poterint convenire et pretium seu pretia ipsa petenda et recipienda ab omnibus emptoribus et quolibet ipsorum, instrumenta quacumque necessaria et etiam opportuna faciendi et fieri rogandi, cum omnibus obligationibus, renuntiationibus et solemnitatibus aliis opportunis ipsumque pretium et pecuniam in premissorum legatorum solutionem convertendi, solvendi et liberandi donec fiat ad plenum executio testamenti predicti; debita quoque et pecuniarum quantitates debite dicto testatori per personas et debitores quoscumque suos cum scripturis publicis et privatis petendi, exigendi, recipiendi, recolligendi et

habendi ab ipsis debitoribus et quolibet eorundem et de his que proinde reciperent quietandi, absolvendi, liberandi donec fiat ad plenum exequutio testamenti predicti et si expedit causandi, agendi et defendendi et omnia alia faciendi et agendi ac exequendi que expedienda videbuntur et debitores quoscumque suos conveniendi et ad iudicium trahendi omne via, iure, modo quo seu qua dici et censeri potest ac fieri et ad predicta requiruntur pro habitione dittorum debitorum; item voluit dittus testator et mandavit expresse quod si presens suum testamentum in aliqua iuris vel fatti solemnitate deficeret, quod instrumentum seu testamentum ipsum possit per nos semel, bis, ter et quotiens opus fuerit dittari, refici, corrigi et emendari // (c. 232r) ad consilium sapientis cuiuscumque ita quod plenam et inexpugnabilem ubilibet obtineat roboris firmitatem, fatti et veritatis substantia non mutata. Et voluit etiam idem testator et expresse mandavit quod de presenti suo testamento tot per nos predictos iudicem, notarium et testes conficiantur puplica testamenti instrumenta quod proinde cuiuscumque competerit ad cautelam. Unde ad futuram rei memoriam et dittorum heredum cautelam quorum et cuius inde interest et poterit interesse certitudinem et cautelam fattum est exinde hoc presens publicum instrumentum per manus mei predicti notarii, signo meo solito signatum, subscriptioneque mei qui supra iudicis et nostrum subscriptorum testium signis et subsignationibus roboratum.

1

2

Così S per dicte
Così S per Athane

10

3

4

5

6

7

8

9

10

11

Quod scripsi ego predittus Rogerius de Lauro puplicus ut
supra notarius qui premissis omnibus et singulis vocatus
interfui ipsumque meo solito et consueto signo signavi.
(SN) † Ego qui supra iudex Gaspar de Aprutio †
Ego domnus Dominicus Pregale canonicus Potentinus
testis sum † Ego Franciscus de Poto de Gayeta testis
interfui † Ego Bartholus de Discolis testis sum † Signum
crucis proprie manus subdiaconi Antonii de Riasulo

Così S per Cannillo (da docc. coevi), qui e in seguito

Probabile omissione di un lemma in S

Così S per habuit

*Errore di lettura da parte del trascrittore. Probabilmente S.
Clerici si riferisce a S. Chirico (S. Chirici/Quirici), venerato
insieme alla madre S. Giulitta (S. Julicte, Iulicte), con la
quale subì, ancora bambino, il martirio in Oriente, durante le
persecuzioni dioclezianee*

Così S probabilmente per Laureto

Così S per? moneatur

Così S verosimilmente per Rossolino

Così S probabilmente per terram

Così S probabilmente per honus

testis idioti qui interfuit et scribere nescit Signum crucis
proprie manus Ioanni de Turturella testis idioti et scribere
nescientis Signum crucis proprie manus Viti Taberia
testis idioti et scribere nescientis Signum crucis proprie
manus Iacobi Cappelli testis idioti qui interfui et scribere
nescit Signum crucis proprie manus Elie de Setapulo qui
interfuit et scribere nescit

12